



BIBLIOTECA
COMUNALE
DI TRENTO



UNIVERSITÀ DEGLI STUDI
DI TRENTO
Dipartimento di Lettere e Filosofia



FONDAZIONE
CARITRO
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

VOLTOLINI CARLO EMMANUELE, *Lemmata sacra ex universa theologia methodo doctoris angelici s. Thomae Aquinatis conscripta, publicae concertationi exposita, & propugnata a Carolo Emanuele Voltolino Tridentino eiusdem sacrae theologiae doctore. Tridenti in templo S. Mariae Maioris. Anno reparati orbis 1654. mense februario sub medium, die hora*, Trento, Carlo Zanetti, 1654.

Esemplare digitalizzato:

Trento, Biblioteca comunale, T I-op a 23

LINK: <https://bdt.bibcom.trento.it/179>

[BDT – BIBLIOTECA DIGITALE TARENTINA](#)

progetto STABAT – *Stampe antiche Biblioteca comunale di Trento*



COMUNE DI TRENTO



STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* è un progetto concluso, cofinanziato dalla Fondazione Caritro (“Bando Archivi 2014”), dalla Biblioteca comunale di Trento e dal Dipartimento di Lettere e Filosofia dell’Università di Trento; gli altri partner del progetto sono la Soprintendenza per i beni storico-artistici, librari e archivistici della Provincia Autonoma di Trento e l’University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All’interno di Stabat sono state digitalizzate e descritte tutte le edizioni stampate in Trentino nei secoli XV-XVII che si conservano presso la Biblioteca e l’Archivio storico del Comune di Trento. Ogni digitalizzazione è accompagnata da una descrizione della stampa; tutto il materiale è liberamente consultabile sulla *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

In questo file le immagini hanno avuto in trattamento OCR e pertanto si possono fare ricerche testuali; le immagini presenti sul sito, dove si può trovare una descrizione completa dell’edizione, hanno invece una qualità maggiore.

Le immagini presenti nella *Biblioteca Digitale Trentina* sono rilasciate con licenza di Pubblico dominio, il presente PDF è distribuito con licenza Creative Commons Attribuzione – Non commerciale – Non opere derivate 3.0.

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* is a project that was successfully concluded thanks to the support of a group of partners, namely the Caritro Foundation (“Bando Archivi 2014”), Trent Civic Library, the Department of Humanities of the University of Trento, as well as the Superintendence for Architectural, Landscape, Historical, Artistic and Ethno-anthropological Heritage for the Province of Trento and the University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All the editions belonging to the Library and the Civic Historical Archive that were printed in Trentino during the XV-XVII centuries have been digitised and described. As a result, each digital copy is accompanied by a record with specific data regarding the printed book, and is freely available to be consulted on *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

The images belonging to this file are OCR-converted, hence the text of this edition can be electronically searched. The images available on the website, on the contrary, have a higher resolution and are accompanied by a complete description of the edition.

The images available on the *Biblioteca Digitale Trentina* are public domain files; this PDF is available under the Creative Commons Attribution – Non-commercial – No Derivative Works 3.0 License.



Misc. T. S. f. 385

81

BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO

T
I-Op
a
23


K 1114923
D 1114759





Excellenti^{mo} et Reuerend^{issimo}
CAROLO EMANUELI
MADRVTIO
Principi et Episcopo
TRIDENTINO
Sapientia floruit.
de Patr. Descri.
Caroli Voltolinius
D. D.

הנה
על
אל
היו
ש
ש



LEMMATA SACRA

EX VNIVERSA THEOLOGIA

Methodo Doctoris Angelici S. THOMÆ
AQVINATIS

Conscripta, publicæ concertationi exposita,
& propugnata à

CAROLO EMANVELE VOTOLINO
TRIDENTINO

eiusdem Sacræ Theologiæ Doctore .

Tridentī in Templo S. Mariæ Maioris . Anno
reparati orbis 1654. Mense Februario sub
medium, Die hora



TRIDENTI

Ex Typographia Caroli Zanetti Impres. Episcop.

De Consensu Superiorum.

Excellentissimo, & Reuerendiss. Principi
CAROLO EMANVELI
è Comitibus Madrutij :

Tridentinorum Principi Amplissimo, & Episcopo Vigilantissimo, Sacri Romani Imperij Principi,
Comiti Chiallanti, &c.

Carolus Eman. Voltolinus Tridentinus Sacra Theologia Doctor humillimus seruus, ac subditus, gratiosissimo, ac naturali Domino suo sauisa omnia precatur.



Edit Moises hic meus ad Reuerendissimam tuam Celitudinem. Sed enim, fallor / Non redit, qui nunquam i tuâ præsentia abierat. Imò verò redit opulentios qui, cum in Mediolanensi Academia philosophicas ex Peripateticâ deserti petrà aquas tibi propinisset; nunc Scholasticæ Theologiæ Sacra-fluenta, in tua hac Tridentina Vibe plenioribus poculis apponit. Albis, opinor Princeps Optime, deridebis dentibus, & meritò, modernos panegyristas; quippe qui fucatis elogijs, atque emmendicatis ostiatim encomijs non tam ornant Principes, quam onerent. ac nisi quæ eos extrinsecus circumstant, extollunt laudibus, laudare ipsos verò non possunt; aut si nihilosetius fortassè laudantur, laudatoris palliata, impudensque adulatio illico se se prodit, simulque ab omnibus ludibris iurehabetur. Scilicet Principum virorum plerique ac dynastarum, etsi splendescuntibus titulis in voluminum paginis turgescenti hystu circumstrepent, potentia, opibus dominatu; milite, autu gemmisque abundare dicantur, si tamen propriarum virtutum nitore non virescant, eximijisque animi dotibus fulgeant micantibus, gypso incrustata sepulchra catè dixeris. Alius mihi, dum tui Encomiastem ago, stili adhibendus est: nimirum te potius, quam tua laudare necesse habeo. Taceat stirps inclitæ gentis, sileant maiorum tuorum Vaticanæ Purpuræ, obmutescat fælicissimum, ac pænè hæreditarium in Tridentinos Madrutiorum Imperium, cedant martiales sagi, delitescant primaria Christianæ Reipublicæ peracta munia, ac stupenda facinora. Audeo dicere.

*Qua diuisa beatos
efficiunt, collecta tenes.*

ambidexter & pedum moderaris, & gladium; hunc iustitiã, illum pietate; ita vt obtupeſcant vſque ad miraculum vniuerſi, illam tuam in tantã negotiorum mole, ac rerum ſucceſſu, cum diuina tractas pietatem, & deſſecate conſcientiã zelum; cum Principatui tuo regendo aſſides, prudentiam ſingularem; cum tua ſuſcipis, mentis tranquillitatem, & in maximã fortunã indulgentiã, moderationem animi; in eiufdem ſeueritate præſentiſſimam quietem, eundemque ſemper in ſuperiore loco vultum, veluti è ſuggeſtu admittentem ſine ambitu proſpera, ſine tadio excipientem a duerſa. Modestia tua (rara magnatum virtus) vetat me, te præſente dicere, quod abſente eniteret alacriter. Vnum tamen eſt vt tacitus in præſens reliquas tuas immortales dotes tranſeam; de quo imperare mihi ſilentium nequeo: tuum illud Eccleſiã tibi commiſſã immunitati propugnandã ſtudium inæquabile, ilinc parem fortitudinem, & inconcuſſam conſtantiam appello, quæ palmarum æmula, quo validioribus quacitur aquilonibus, eò aliores cordi tuo radices immitens, optimo iure glorioſum ſibi efformauit epithomẽ

Depraſſa inſurgo.

Quid enim eiufdem Eccleſiaſticae libertatis gratiã a greſſu ſis, quam tuã religionis teſſeram Chriſtiano orbi præbueris, & etiã num præbeas dilucidius eſt, quam quod oratorum licet diſcretiſſimi eloqui poſſint. Quam ineluctabilem conſtantiam multis principibus tibi geminis inhoneſto præpoſterã ationis (quam ſtatu vocant) famulatio turpiter ſubindẽ mancipat, haud dubiẽ diuinis voluminibus, ſacrãque Theologiã cælitu hauſiſti. Quid ni ergo meas has Theologicas aſſertiones tibi deſpandẽ eo lubentiam, quò humanius philoſophicas nuper à me ipò excepſiſti. Si forte redditus hic meus ad Reuerendiſſimam Ceſtudinẽ tuam audaciã notam incurrat; nullus dubito, quin eadẽ inconcuſſã patientiã, quã innumera incommoda tuendi Tridectini Principatus cauſã deuoraſti; hanc quoque moleſtiam à me tbi partem æqui ſis facturus. Vale.

BENEVOLO LECTORI.



Mitaris amice Lector, nostro quo, otio supino tabescente, malisque artibus piene corrupto Sacram Theologiam a Tridentino solo ante hac prope modum exuberantem, à me produci in mediũ, sicque Sacra tractari à seculari homine. Quasi verò falce in alienã messem misisse me existimes. Sic opinantur, qui diuinam scientiam solis Deo iuthoratorum claustris mancipatam coarctant illique nefas putant, vel latum vnguem ab ijs limitibus abscedere. Nil minus. Immenſum Diuinitatis pelagus tam arctatis non circumeluditur finibus, Nili superni vnda: quandoquidem adeo exuberant, vt steriles etiam secularium Aegiptiorum arenas suauioribus fluentis fecundent. Anne ergo nefas erit harum aquarum suauitate delicatioribus labijs delibare? Imò verò si cui sapiunt, & arident, hauriant pleno ore, immergant sese audacter; ne tamen nimio aflu, submerganter; tutissimam fidei anchoram intellectum humanum captiuantem habeant in promptu. Sed videor mihi ad aures susurrantem iudire nescio quem inscitiae mecenatam; referte parum, sitne Ecclesia Catholica tam doctis prouisa Theologis, *instare scientiam*, 1. ad Cor. 8. & teste Apostolo ad Galatas *stulta huius mundi elegerit Deum, et fortia confundat &c.* Plures Sanctos Patres, præcipue mellissimum Doctorem fateri solitum; se legis suggestionem litterarum, & amore scientiæ, à fugà sæculi penè fuisse retardatum; & exemplo suo, ac hortatu, plures magistros, pariter & discipulos à Scholis abstraxisse, & toties ex Apostolo ad Hebr. 11. exagrasse, factos Deo dilectos vitæ & scientiæ meritò; quasi verò nimium in sugillatione scientiæ reprehenderet doctos, & prohiberet studia litterarum. Absit. Straminea hæc, plumbeaque terculamenta sunt. Aduerte quid subiungat Melligenus Bernardus. *Non ignoro, inquit, Ser. 36. in Cant. quantum Ecclesia profuerint, & profint litterati sui, siuè ad resellendos eos, qui ex aduerso sunt, siuè ad simplices instruendos; denique legi: Quia tu repulisti scientiam, repellam ego te, vt non fungaris Sacerdotio. Legi qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stelle in perpetuas æternitates.* Sed tempus, modum, ordinem, finemque diligenti accuratè præscribit, idem doctrinæ Encomiastes; & studij Theologici thineas, curiositatem, fastum, iactantiam è Scholis præscribit.

proferibit. Quibus si caueatur, Sacra Scientia Christianis per qua
accomoda est, ac necessaria, tum ad se, tum ad alios componendos,
atque in salutis tramitem, si forte deuiaverint, inducendos. Subiit
ergo mihi consilium (consultum ne, an inconconsultum, nescio) has
qualescumque Theologicas assertiones absciso stilo conscrip-
tas Scripturae Sacrae, & Sanctorum Patrum, eiusdem interpretatum
accuratissimorum sensui accomodas, meis demum manu scriptis,
quae à Reuerendi Patribus Societatis Iesu, tum in Mediolanensi Aca-
demia, tum in celeberrima Vniuersitate Viennae Austriae, postremo
in alio Romano Collegio, anno transacto lubiliter excepi; quibus
magistris, (si quid tamen didici) omnia didicisse me fateor. Eo-
rundem sententias, quas me docuerunt ad aures Angelici Doctoris,
vti communi Scholasticorum sensu explanati, nunc quoque ser-
uati fideliter, non quod iurauerim in verba magistris; vt quorundam
mos est, sed vt reuerentiam, atque aestimationem, quae tanto
Ecclesiae Doctori iure debetur, ostendam.



DE DEO.

I. **E**ssentia Dei non constituitur tanquam primario predicato in actuali intellectione, sicut neque actuali infinitate, sed radicali solum, seu quod sit ens actualiter postulans omnem in supremo gradu perfectionem quae non inuoluit imperfectionem. De huius conceptu quidditatis non sunt relationes, uti neque haec in suo conceptu includunt illam, quemadmodum nec unum attributum alterum. Ipsa tamen actualis infinitas peculiare non est attributum à reliquis attributis collectivè sumptis distinctum.

II. Deus est spiritus actusque purissimus & simplicissimus, omnis compositionis expertus. Distinctio, quam inter attributa meditatur & inter essentiam, & proprietates relativae, rationis ratiocinatæ est. Cum tamen hic quoque nulla sit vera distinctio. Ut sine qualitate bonus, sine tempore sempiternus, ita unus, ut alium naturae similis, consortem non ferat.

III. Habitat Deus lucem adconaccessibilem, ut nullus intellectus creatus proprijs viribus ad eum clarescendum: oculus verò corporeus nulla ratione ad eum cognoscendum possit assurgere. Fide nihilominus docemur intellectum creatum, lumine gloriae ipsum elevante (quod tamen à Deo suppleri possit) adiutum, videre Deum in patria, quod haecenus nulli puro viatori concessam est. Repugnat videri Deum sine concursu immediato potentiae intellectivae, cuius maior perfectio ad perfectiorem visionem non conducit.

IV. Deus in se ipso immediatè à beatis videtur visione manifestatà divinitatis: ad quam lumen gloriae non ut dispositio, aut conditio, sine qua non, sed tanquam cum intellectu connaturale, est instrumentale tamen tantum visionis principium efficienter concurrat. Absolutè tamen Deum sine concursu luminis, aut alicuius intrinseci munus eius suppletis, videri non repugnat.

V. Ita Deus est incomprehensibilis, ut nullà vi comprehendi id est tam perfectè, quàm petit, cognosci possit. Nihilominus, clarè videntes divinam essentiam, omnia simul eius attributa cognoscunt. Imò implicat visio Beatifica, quae aut non discernat distinctè omnia, quae in Deo sunt formaliter, aut quae ex parte obiecti attingunt & essentiam sine attributis, aut unum

attributum sine alio. Absolutè autem possibile est Deum ita imperfectè videri; ut licet videantur omnia, quæ sunt formaliter in Deo, ita tamen confusè, ut non possit intellectus ea discernere. Adde non repugnare unam è diuinis personis videri sine alia ad eum modum, quo credimus unam sine alia hypostatice coniri.

VI. Præter Deum, nihil in Deo videtur, nec videre possunt beati; non creaturas existentes non futuras, non possibiles secundum esse earum proprium, qui enim videri possit in Deo, tanquam in medio cognito, cum quo Deus nullam habet connexionem. Neque Augustinus contrarium tenuit, dum in Angelis matutinam à vespertina cognitione distinxit, mane enim est cognitio creaturarum secundum suum esse, quod habent in Deo; vespere verò est cognitio creaturarum extra Deum, secundum proprias quas in se habent, essendi rationes.

VII. Deum esse omni scientem, non solum fides, sed & ratio persuadet; quin ipse solus actus, & summè intellectus est, quia se ipso sui, & totius intelligibilis comprehensus. Nulla igitur est inuisibilis creatura in conspectu Dei, non possibilis, non existens, non futura absolutè, aut sub conditione disparata, aut impossibili; hæc enim omnia sua scientia lumine peruadit, & exhaurit, seque in creaturis, non tamen ex creaturis cognoscit. Scientia contingentium creata non officit libertati. Id namque, quod futurum est, ideo scitur à Deo, quia re verà futurum est, non è contra. Imò nouit cuncta in se ipsis conditionatè futura independentèr à absoluto, & prædesinente decreto.

VIII. Iuxta diuersorum obiectorum, quæ Deus nouit, statum, scientiam distinguunt in Deo Theologi. Simplicis intelligentiæ est, quæ possibilis; visionis, quæ existentia; media, quæ conditionatè futura attingit. Sic etiam scientia diuina in naturalem, seu necessariam, & liberam diuiditur, est o vno indiuisibili actus, imò se ipso Deus nouerit omnia.

IX. Neque solum Deus est sua intellectio, sed etiam sua volitio, quæ se ipsum vult absolutè necessitate, sine coactione; alia à se secundum esse existentia liberrimè; sine actus purissimi contingentia. An ergo actus liber Dei, ipse est actus necessarius, propter suam infinitatem dans effectum formalem volentis, aut nolentis, quem potuisset non dare, citra ullam sui mutationem. Ita hoc abdiptissimum mysterium inuolunt non pauci; longè autem magis, qui actum Dei liberum virtualitatem dissectibilem volunt. Alij, quibus assentimur, actum liberum Dei, præter certitatem volitionis necessariæ includere formaliter causalitatem, vel eius mutationem contingentem existimant; consequenter actum liberum Dei, secundum id, quod formaliter includit, non esse uitalem, & immanentem; libertati enim contingentiam importat, quæ actui diuino, non minus quam Deo ipsi omnino repugnat.

De Prædestinatione.

3

X. **P**rædestinatio est preparatio mediolorum, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. Nemo totius suæ prædestinationis causa esse potest, quamvis quisque efficere possit, ut prædestinatus fuerit. Facta est prædestinatio ad gloriam post præuisa merita formaliter; virtualiter verò ante præuisa: reprobatio ergo negatiua à gloria præuisiorem operum præcedens cum Dei bonitate, seruaque ac sincera voluntate antecedenti saluandi omnes, quam Deus habet, non potuit consistere.

XI. Ipsa porro positua reprobatio finalem supponit impenitentiam, vnius huius actualis effectus est damnatio; prædestinationis autem ad gloriam, quid quid quomodocumque ad eam acquiendum disponit, aut iuuat. Quare aliquando gratia inefficaces, bona iten opera in peccato facta, & dona naturalia sunt effectus prædestinationis; ipsa denique permissio peccati seu proprii seu alieni probabiliter; secus probabilis tamen. Interim non potest Deus velle directè peccatum etiam ad evianda alia maiora, quæ alioquin homo esset commissurus.

De Trinitate.

XII. **I**n summa diuina substantia vnitae tres esse personas, res est maior indagine humana: argumenta quidem, quæ obijci possunt, dissolui posse, ipsa rei veritas docet; & certà aliquà demonstratione ostendere, Deum vnum esse in natura, Trium in personis, fieri non potest. Ipse vni-genitus, qui est in sinu Patris, totum nobis enarravit mysterium. Porro Sanctissimam Trinitatem ita secundum communem essentiam indiuiduam, & secundum personales proprietates discretam consistemus, ut tres substantie relatiue (absoluta enim nulla est) & essentia à parte rei indistincte, non sint de intrinseca, & formali ratione vsius, esto in se sint perfectiones simpliciter simplices.

XIII. Persona iuxta nostrum concipiendi modum constituitur, seu, ut Patres aiunt, figurantur ex substantia, & proprietatibus, non absolutis, sed relatiuis; hoc enim solo numerum significant, quod ad inuicem sint. Porro relatio multiplicat Trinitatem, secundum suum esse relatiuum, ut sic, non ergo generari, & genitum esse quod virginis est, constituit principaliter personam, origo nihilominus notio est, in qua distinctionem noscimus personarum.

XIV. Qui autem, cum quatuor sint diuine relationes. Paternitas, Filialio, Spiratio actiua, & passiuua, tres tantum resulant persone, non est difficile coniungere, cum tres solum sint sibi inuicem opposita. Spiratio enim

actiua, re non differt à paternitate, & filiatione, quamuis à spiratione passiuâ, ut ab opposito termino realiter distinguatur. Quatuor relationibus si addas innascibilitatem, quæ patris est, quinque numerabis notiones.

XV. Ad actus notionales datur in Deo vera, & realis potentia productiua: quæ non est essentia, ut constans intellectu, & Voluntate, sed principium quidem formale, seu quo Relatio, principium vero totale. Quod persona; principium enim quo productiuum, naturâ suâ realem requirit ab eo, quod realiter producit distinctionem, cum idem se ipsum producere non possit. Secus de principio communicatio dicendum est, hoc namque à termino, cui communicatur, non petit realem distinctionem. Nihilominus communicatio realis, quamuis ipsa per se non asserat, supponit tamen distinctionem realem principij, Quod communicatiui, à termino, cui fit communicatio.

XVI. Pater diuinitatis totius principium, non causa, in ratione suæ Personæ constituitur paternitate, & Spiratione actiua, quatenus priusquam æternalis generatio, & Spiratio intelligitur. Determinatus est ad productionem Filij, & Spiritus Sancti. Intuendo comprehensio essentiam, & personas, non autem creaturas, producit Verbum, à quo simul, & à Patre, tanquam ab vno principio per voluntatem procedit S. Sanctus. Qui fidelium mentibus donatur, non solum secundum virtutem, & operationem, sed etiam secundum presentiam maiestatis, adeoque non donum tantum, sed ipse etiam Spiritus nobis communicatur.

XVII. Generationem Verbi quis enarrabit? fide constat Verbum, non autem Spiritum S. generari. Quid autem sit, quo Spiratio à generatione formaliter distinguitur? fides non explicat. Interea quæ ratio humana probabiliter excogitauit, probabilissimum videtur; ideo secundam in Trinitate personam, non autem tertiam generari, quia secundum suum esse personalem procedit ut imago substantialis, & naturalis representatiua Patris Idem esset terminus Spiratus, & genitus, nisi & genitus Spiraret.

De Angelis.

XVIII. **D**Eum ad intra secundum creabat in rerum extra se productionem exundare. Quare ab initio temporum utranque de nihilo condidit Creaturam, corporalem, & spiritalem, Angelicam, & humanam. Angeli, quos existere fide nouimus, sunt substantiæ incorporeæ, simplices, intellectuales, naturâ suâ incorruptibiles, specie multiplicati.

XIX. Non ea est Angelicæ naturæ perfectio, ut sit intellectiua per se ipsam, sed indiget, sicut quæuis alia creatura, actu distincto. Comprehendit se aliquo modo, & potest quæcumque inferiora omnia naturaliter existentiâ

5
fientia (exceptis secretis cordium) necessariò cognoscit . Angelus Superior , est vniuersalior in cognoscendo , in quantum ad plura simul , & semel attendere potest , quam inferior .

XX. Viluminis naturalis possunt Angeli certò , & euidenter , non tamen intuitiue res aliquas in substantia supernaturales cognoscere . In via habuerunt fidem ; adeoque mysteriorum supernaturalium reuelationem , etiam Incarnationis . Loquuntur sibi inuicem , non solum signis externis , sed & modo Spirituali , actu intellectus ordinando suum actum internum ad alium Angelum .

XXI. Nobile Dei opus ; Angelum , nulla peccati labe sordere decisset ; sed ea rei create natura , vt si rationis , ac libertatis sit compos , culpe possit esse obnoxia . Primo creationis instanti omnes ad Deum suere conuersi , & gratiam sanctificantem ex propria dispositione ; & ad eam auxilia , iuxta proportionem naturalium acceperunt : dependenter à meritis Christi homi perseverarunt specialiter adiuti , mali autem descuerunt propria voluntate , inordinato appetitu Beatitudinis : illi perinde coronam gloria reportarunt , hi autem puniuntur per allegationem ad ignem corporeum .

De Actibus Humanis .

XXII. **A**ngelos hominibus nescit vnus , idemque finis , eademque beatitudo obiectiua Dus , formalis verò plena eiusdem possessio , qua operatio est non voluntatis , sed intellectus : clara videlicet Trinitatis indiuidue visio , reddens beatum ab intrinseco impeccabilem , non implicat eam peccato amitti . Tendimus in finem actibus humanis , sed liberis , posite ex parte actus primi determinatione ad vnum , libera non est potentia .

XXIII. Omnis actio humana pr se aut bona est , aut mala , sumit suam bonitatem , & malitiam non ex fine tantum , sed etiam ex medio : hinc melior est electio martyrij , quam recreationis propter eundem finem . Porro vt obiectum honestatem resfundat in actum , debet explicitè cognosci , & amari voluntas propter se : malitiam obiectiuam , aut ex circumstantijs , sufficit aduertisse . Aliqui actus interni ita sunt boni , vt intrinsece non possent esse mali .

XXIV. Esse actum formaliter moralem , est actum liberè fieri citra necessitatem ponendi alium eiusdem valoris ; nam in genere moris , seu ordine ad meritum , & laudabilitatem necessitatus sub distinctione ad duos actus omnino eiusdem valoris , non aliter se habet , quam si ad vnum esset determinatus .

XXV. Difficilius est determinare , que sit prima radix moralitatis obiectiua . Lex æterna , & cuiuscumque Superioris , obiectiuam inhonestatem à poste-

viori solum ostendit. Dictamen rationis, seu conscientia, est quidem proxima humanorum actuum regula, sed obiectivam supponit moralitatem. Placent, qui obiectivum honestum in eo constituunt, quod sit obiectum rationali proportionatum naturæ, nec excludatur ab aliquo bono necessario.

XXVI. Peccatum commissionis est factum, dictum, vel concupitum contra legem æternam. Consistit in actu positivo libero, cum advertentiâ malitiæ elicto, cuius tamen non est habens auctor, qui inuocatur interdictor, imò etiam condemnator Deus. aliud est veniale, quod levis displicentiâ: aliud mortale, quod dissolvente fundamentum dat amicitie, etiamsi sine advertentiâ committatur ad Deum. si adsit hæc advertentiâ veram, & realem inferat iniuriam. Eius malitiâ moralis finita est. Venialium quæcumque multitudo unum mortale non efficit.

XXVII. Originis vitium non magis ab omnium nostrum parente, quam peremptore Adamo descendit; illo enim è primæ felicitate lapso, peccatum (antiquum nunc, seu originale dictum) in hunc mundum intravit, & in omnes eos, qui naturali propagatione descendunt, pertransiit. ut nemo ab hac mundo sit sordidus, nec infans, quidem prius est unius diei vita super terram. Non est tamen Deo deneganda potestas, qua potuerit, nec voluntas, qua Virginem Deiparam voluerit privilegio speciali exemptam liberare; si vero etiam ab ea liberaverit. à Deo. 100.

XXVIII. Peccatum actuale persone maculat animam etiam transacto actu peccati. quæ macula peccatum habituale dicitur; nec formaliter aliud est, quam actus præteritus malus moraliter perseverans, seu non condonatus, nec per condignam satisfactionem sublatus. Sic etiam peccatum originale formaliter non est aliud, quam transgressio idæ ut capitis, moraliter perseverans in posteris. quæ hoc ipsa est unicuique propria: actus enim Adæ, tanquam capitis, censetur esse actus posterorum, estque moraliter tam diu præsens, donec conduxerit.

De Diuina Gratia.

XXIX. **N**E aberremus à sine, dat nobis adiumenta externa, atque interna liberalis Deus. Externa sunt leges, quæ frustra faciendum iuberent, nisi gratia nos iuaret interna: quamvis enim primigenia illa plaga in nostrâ naturâ vulnus tantum non fecerit, ut nullum omnino bonum opus morale sine gratia facere valeamus; graues tamen tentationes superare, aut aliquid boni, quod ad salutem pertineat æternam absque diuinâ per Jesum Christum gratiâ operari non possumus.

XXX. Diuisiones gratiarum varia sunt; alia gratis data, alia non gratis data

sis data. Item alia habitualis, alia actualis, quæ in præuenientem, subsequen-
tem, & concomitantem diuiditur. de præuenienti grauis est, magniq[ue]
momenti quæstio, quomodo alia efficax, alia sufficiens dicatur? & hæc qui-
dem nunquam effectum, esto possit, sortiatur: illa uero nunquam fallat,
esto fallere possit. Ego hanc infallibilitatem ex consensu conditionatè futuro
desummi censeo; non autem à prædeterminatione physica.

XXXI. Gratia quæ in cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffusa
nobis inheret, habitualis est, ab habitu charitatis probabiliter indistincta, quæ
secundum Deum creatus homo eius natura sit consors. Est unica forma,
quæ primò, perfectè, & adequatè Sanctificamur. Est impossibilis cum
peccato. potest absolutè remitti peccatum sine infusione alicuius doni, aut in-
trinsicè mutatione, aut actu retrahatio peccatoris. Imò unum sine alio,
nullum naturà suà est irremissibile.

De virtutibus Theologicis.

XXXII. **D**antur tres habitus Theologici. Fide, Spes, & Charitas, sine gratia non generantur. sine quâ tamen duo consistunt. Est autem fides sperandum substantia rerum, habitus intrinsicè supernaturalis, quo possimus credere, sicut oportet, ad salutem; primè ueritati reuelanti, & rationi formalè innititur, proinde falsum illi subesse nequit.

XXXIII. Actus fidei diuine necessariò insubstantià supernaturalis est assensus simplex, obscurus quidem sed certior quacumque cognitione scientificè naturali. Est prima radix, seu initium nostræ salutis, ita ut ante fidem nullum detur meritum ipsius dei. præuias dispositiones requirit iudicium de euidentià credibilitatis rationi mixtum, & piùm credulitatis affectum, captiuantem intellectum in obsequium fidei, quem si quis non gratis donum, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus contrarius approbatur. non stat fides cum scientià metaphysicè de eodem obiecto in eodem intellectu.

XXXIV. Spes ad uoluntatem pertinet, cuius primarium materiale obiectum Deus, ut summum bonum nostrum, formale uero, ut auxiliator. Sperare potest, etiam qui reprobationis habet reuelationem. Charitas tendit in Deum propter se, & reliqua ambilia propter ipsum. fundat ueram amicitiam Deum inter, & homines. intenditur, sicut & gratiâ meritorie per actus etiam habitu remissiores, eorumque liberam continuationem. Iustitia uirtus Cardinalis, ius strictum respicit, fundatum in prælatione morali quam res habet cum aliquo, tanquam effectore, aut inuenteore physicè, aut moraliter tali.

8
tali. Potest eodem instanti reale dominium esse penes duos in solidum. Usus
in rebus uno usu consumptibilibus non distinguitur à dominio.

De Incarnatione Verbi.

XXXV. **Q**ui semel bonitatem suam ad extra exercere capit Deus, in
sola rerum creatione nos substituit, sed unione natura hu-
mans cum Verbo, quæ in Christo facta est, seu Incarnatione omnes suas opes,
liberrimè tamen obsequavit. Quia verò casu natura nostra ceciderat, et
restitui non posset nisi ab illa omnipotentis manu, quæ Verbi Divini unione
roborata solueret condignum Redemptionis nostræ pretium, quod pura crea-
tura non potuit, abundantissimè prestitit Verbum Caro. Si homo in sua ho-
nore natura stetit; nec diabolica fraude deceptus à lege deviasset vi præ-
sentis decreti Creator mundi creatura satus non fuisset.

XXXVI. Porro dum Incarnationem dicimus in domino nostro Iesu Chri-
sto duas naturas, & unam duntaxat personam ex utraq; naturâ compo-
sitam agnoscimus. qui est adæquatus, & totalis, Incarnationis terminus;
formalis verò, unio substantialis, seu humanitatis in Verbo productio;
natura enim nostra non sic assumpta est, ut prius creata postea assumeretur,
sed ut ipsa assumptione crearetur. Cret propriâ subsistentiâ quâ Verbo
inexistit. Assumpsit Verbum immediatè omnia substantialiter integrantiâ
hominem, sanguinem, & humores reliquos, nullum accidens.

XXXVII. Etsi Sanctum Sanctorum præ consortibus suis unxit Deus
unione, hypostaticâ formaliter Sanctificans, habitualement tamen ei gratiam
non subtraxit, ut sic omnis plenitudo dnorum in ipso inhabitet, & connat-
uraliter eliciat actiones, supernaturales, quæ suere valoris simpliciter infi-
niti, ex dignitate persona operantis. Trimum esse unionis hypostatica non
potuit Christus condignè mereri. Continuationem potuit, non tamen meruit.
Impeccabilem reddebat non solum unio hypostatica, sed etiam visio beatifica.
fuit nihilominus liber quo ad substantiam, adimplendo de morte subeunda
præcepto.

XXXVIII. In Christo sicut duplex est natura, ita etiam duplex intel-
lectus, & voluntas. Intellectum multiplex cognitio illustravit; habuit enim
ab instanti conceptionis scientiam beatam propriam; quâ præter abyssum divi-
nitatis, cognoscit nihil. Scientiam etiam per se infusam rerum supernaturalium,
infusam verò per accidens rerum naturalium, quarum utraq; tanta fuit,
quanta esse potuit, non tamen infinita. Nec naturali caruit, quam experi-
mento acquisivit, & quæ per intervalla crevit ætatis.

De Sacramentis.

9

XXXIX. **F**ructus suscepta à Christo carnis licet potuerit in homines alià derivari vià, voluit tamen Christus eos tantum salutis compotes fieri, qui ad eam capefcendam ex ipsius institutione dispoherentur. Itaque suæ redemptionis efficaciam, ac vim septem Sacramentis à se immediatè institutis indidit, quæ ex opere operato gratiam non physicc, sed moraliter tantum causant.

XL. Sacramenta nouæ legis constant intrinsecè rebus, ut materià, uerbis, ut formà: mutatio substantialis inualidat Sacramentum, non accidentalis. Licetè administratur Sacramentum ex Sententià minus probabili, quod uerum est, esto vna sit certa, altera solum probabilis, nisi consuetudo, aut Ecclesiæ decretum, aut charitas aliud suadeat. Intentio in ministro requisita actualis esse debet, sufficit tenuis, & confusa.

XLI. E sacramentis tria sunt, quæ imprimunt characterem. Baptismus, Confirmatio, Ordo. Baptismus est Sacramentum regenerationis per lauacrum aque in Verbo uitæ, in lege noua est simpliciter omnibus necessarius in re, uel in uoto. Eius remota materia est aqua elementaris; proxima, ablutio corporis; forma, ego te pabizo in nomine Patris, &c. Confirmationis materia remota, Chrisma, proxim unctio in fronte immediatè ab Episcopo facta. Eucharistia materia transiens, panis triticeus, usualis, & uinum de uite usuale; cui ex graui Ecclesiæ præcepto aqua misceri debet immediatè in sanguinem conuertenda.

XLII. In Augustissimo hoc Sacramento Corpus, & Sanguis Christi uerè, & realiter, ac substantialiter uerbi Verborum etiam ante usum continetur. quod transubstantione fit, quæ formaliter est unctio corporis Christi cum speciebus. hoc ipso enim fit conuersio tæius substantiæ panis in substantiam corporis, & totius substantiæ uini in sanguinem Christi, remanentibus eorum accidentibus, sub quibus Christus cum suâ quantitate existit totus sub totis speciebus, & totus sub qualibet parte.

XLIII. Constat autem intrinsecè Eucharistia corpore, & sanguine Christi, uerbis consecratorijs speciebus panis, & uini. Forma essentialis pro consecratione corporis est. Hoc est corpus meum pro sanguine, Hic est calyx sanguinis mei. quibus uinum, & propitiatorium in missâ conficitur sacrificium, ad cuius rationem spectat consecratio, & sumptio specierum in eadem missâ consecratarum. Valor eius licet ratione melioris dispositionis Augeri possit, tamen non habet applicata Christi merita ad obtinendum infinitum effectum.

XLIV. Pœnitentia uirtus specialis pro formali primario honestatem abo-

B litionis

litionis peccati, siue reconciliationis cum offenso Deo in amicitiam per nostram cooperationem respicit: pro materiali uero quidquid ad nostram reconciliationem quoquo modo iunat, aut obest, porro dolor ex dicto formali motiuo extra sacramentum non sufficit ad reconciliationem.

XLV. Opus est contritione perfecta, appreciatiuè summà, formali, aut virtuali, ex motiuo charitatis, qualis adhuc erit illa virtualis, quæ sit unius peccati dumtaxat formalis, ex motiuo tamen uniuersali, licet alia peccata memoria presentia sint. Nec etiam formale requiritur propositum. Quod si contritio ab imperio malo imperetur (est conce de retur habere aliquam libertatem) aut ab inferiori uirtute quoad omnes circumstantias, non sufficeret ad iustificatiõnem. Ad remissionem ueniduum iniusto sufficit attritio, non tamen per modum condigna satisfactiõni; quod ultimum & contritioni negamus.

XLVI. Partes Sacramenti penitentiæ (quod dari potest validum, & informe) sunt contritio, Confessio satisfactio, & Sacerdotis absolutio. Ac primo dolor debet esse formalis, non item propositum; potest haberi formale etiam, & effiçax uitandi omnia uenialia Confessio omnibus peccatoribus in re, uel uoto necessaria est, cuius præceptum aliquoties extra periculum mortis obligat per interpretationem aliquãdo necessaria est. per se loquendo debet esse materialiter integra, tunc quoque, quando simplici non aliud damnum ab extrinseco timeretur, quam aliquis infamia apud solum confessorium, & aliud ignotus haberi non posset. Circumstantiæ item speciem, uel quasi speciem in genere moris mutant, explicari debent, non item solum aggravantes, uti neque dubium.

XLVII. Essentia forma absolutiõni præcise in his uerbis. Absoluo te consistit. non potest impendi absenti, uti neque confessio si ueri ualidè. Morti tamen proximus, sensibus destitutus qui uoluntatem confitendi ostenderit, absolui debet, esto hæc uoluntas Sacerdoti absenti per testes etiam solum mediatos innotuisset. Iurisdictiõnem hanc quilibet Sacerdos accipit immediate à Deo, poterit nihilominus Ecclesia eum à ualidè exercitio impedire, præterquam in extrema necessitate. Omnes præterea, qui alijs iurisdictiõnis exercitium impedire possunt, possunt quoque certa peccata, etiam uenialia & dubia sibi reseruare.

XLVIII. Demum ex confessione sigillum tantum oritur, ut nullo prorsus euentu, absque expresso consensu penitentis aperire liceat quidquam ex illis, quæ legitimè ex intentione explicandi peccata sunt subiecta. Satisfactio pars solum integrans Sacramenti penitentiæ ex opere operato solum delet penas temporales. Eam modo rationabilis sit, tenetur sub mortali, & acceptare, & non omittere saltem totam, esto perua sit penitens. Dubitans

bitans negativè, an habeat mortale, potest absque novà confessione accedere ad Eucharistiam, cum talem non aggravat conscientia peccati mortalis, quod non obstat Con: Tridentino, quod loquitur de habentibus peccatum, sic autem dubitant, verè non gravatur mortiferà labe, ergo potest absque alià Confessione communicare.

XLIX. Extrema Unctionis Sacramentum remotam materiam habet oleum infirmorum, proximam vero unctionem sensuum, non necessariò quinduplicem. Datur infirmis, & peccatoribus. Septem sunt Ecclesie ordines. Præbiteris in ordinatione datur potestas conficiendi corpus Christi & sanguinem ac absolvendi à peccatis. Matrimonium in lege gratia est Sacramentum, cuius materia remota sunt corpora contrahentium, proxima traditio eorum; forma, mutuus consensus, verbis vel nutu expressus. Ratum, non consummatum indissolubile est, præterquam per ingressum Religionis. Eum tollere ab Ecclesia, uti nonnulli hæretici auferunt, est eam replere sacrilegis, incestuosis, seminisfluis, &c. unde per quam appositè à Christo institutum. Matrimonium Catholici cum hæreticà validè, & licitè contra hi potest.

Laus Deo, Deiparæ Virgini; SS. Carolo, & Vigilio,



P / 6057

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

805



BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO

T

I-OP

a

23

20

LEMMATA SACRA
EX VNIVERSA THEOLOGIA
Methodo Doctoris Angelici S. THOMÆ
AQUINATIS

Conscripta, publicæ concertationi exposita,
& propugnata à

VELE VOTOLINO
NTINO
heologiae Doctore.

Mariæ Maioris . Anno
Mense Februario sub
Die hora



TRIDENTI

Ex Typographia Caroli Zanetti Impress. Episcop.

De Consensu Superiorum.